Universitätsbibliothek Paderborn

Corpvs Doctrinæ Christianæ

Melanchthon, Philipp

Lipsiæ, 1572

VD16 M 2890

Ad Spiritvm Sanctvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

Visual Library

bulationis, eripiam te, & glorificabis me, &c. PRODIIT autem commonefactionis cauſſa quotidie expreſsis verbis, & certa forma verborum recitare gratiarumactionem.

FORMA GRATIARVMACTIO-nis ad æternum Patrem.

OMNIPOTENS, æterne, viue & vere Deus, æterne Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, creator cœli & terræ, & hominum, & omnium creaturarum, & conſeruator, dator vitæ, legis & ſapientiæ, & opitulator, vna cum filio tuo coæterno, Domino noſtro Ieſu Chriſto, λόγῳ καὶ εἰκόνι σοῦ ἀϊδίῳ, & Spiritu ſancto tuo, effuſo in Apoſtolos, caſto & veraci, ſapiens, bone, verax, iuſte, iudex, miſericors, caſte, liberrime; tibi gratias ago, quod reuelaſti te nobis, quod miſiſti filium, & voluiſti eum aſſumere humanam naturam inenarrabili ſapientia & bonitate, & fieri victimam pro nobis, qui colligis æternam Eccleſiam, & quod inter nos colligis, ſeruas miniſterium Euangelij, das Spiritum ſanctum & vitam æternam, & quod das nobis bona corpori noſtro neceſſaria, & mitigas ac tollis pœnas, deniq; pro omnibus beneficijs animæ & corporis, &c.

AD AETERNVM FILIVM.

AGO tibi gratias omnipotens fili Dei, Domine Ieſu Chriſte, verbum & imago æterni Patris, crucifixe pro nobis, & reſuſcitate, nate ex virgine, Emanuel, ſedens ad dextram æterni Patris, colligens & ſeruans æternam Eccleſiam voce Euangelij, quod patefeciſti nobis æterni Patris miſericordiam, & decretum de redemtione, & ſemper collegiſti Eccleſiam, & aſſumſiſti humanam naturam, es mediator, redemtor, iuſtificator & ſaluator, es ſummus ſacerdos, ſemper intercedens pro nobis, dans vocem Euangelij, & es efficax per eam, & das remiſsionem peccatorum, & es rex, colligens, ſeruans & protegens Eccleſiam, & das Spiritum ſanctum ijs, qui ad te conuertuntur, & Euangelij voce ſe ſuſtentant, & reſtituens in nobis iuſticiam & vitam æternam, das lucem in conſilijs, intellectum verbi tui, depellis Diabolos, das etiam bona corpori neceſſaria, &c.

AD SPIRITVM SANCTVM.

AGO tibi gratias omnipotens, verax, caſte, Spiritus ſancte, procedens ab æterno Patre & filio, Domino noſtro Ieſu Chriſto, effuſe in Apoſtolos, quod confirmas corda noſtra, ut firmiter aſſentiantur verbo Dei, & flectis ea ad inuocationem Dei, & ad omnes motus legi diuinæ congruentes, & lætificas ea, ut acquieſcant in Deo, petant & expectent omnia beneficia Dei. Das etiam bona corpori neceſſaria, &c.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN